

Felicis Nuscheleri de statu urbis Tigurinae sub Carolo IV. imp. Rom. : dissertatio historico- politica

Autor(en): **Nuscheler, Felix**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1748)**

Heft 10

PDF erstellt am: **15.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394625>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

* FELICIS NUSCHELERI

de Statu

URBIS TIGURINAE

Sub CAROLO IV. Imp. Rom.

Differtatio Historico-Politica.

Argumentum.

Prologus. §. I. *Caroli IV. ortus & juventus.* §. II. *Carolus post multas lites Imperator creatus.* §. III. *Gesta ejus in Italia.* §. IV. *Facinora præclara.* §. V. *Vituperia, & mors.* §. VI. *Synchronismus.* §. VII. *Antiqua Reip. Tigurinæ forma.* §. VIII. *Quis Senatum antiquum legerit?* §. IX. *Mutatio Formæ illius antiquæ.* §. X. *Motus*

* Quoniam, ut multorum desideriis fiat satis, nobis constitutum est, subinde etiam ejus generis tractationes, quæ ad illustrandas Helvetiæ Antiquitates & Historiam pertinent, si diligentius conscriptæ & rarius obviæ fuerint, huic Museo nostro inferre, non dubitavimus ob argumenti rationem huic Differtationi primum hic locum concedere, quæ pro Speciminis Academici modo liberæ Reip. Turicensis origines, optimorum, qui tunc suppetebant, documentorum fide, perspicue tradit. Prodiit illa primum An. 1710, atque in publica disputatione defensa est sub præsidio τῆς νῦν ἐν ἀγίοις Clariss. Viri J. R. CRAMERI, Hist. ac L. S. tum Prof. Quæ juvenilis opera, quamvis Amplissimo Autori nunc pro amplitudine Eruditionis & Dignitatis, qua insigniter suoque merito auctus est, non amplius probari possit; illam tamen, quum aliorum commodis possit esse opportuna, pro suo in promovendas litteras studio, non indigne feret, nostra cura in manus hominum pervenire. J. B.

Motus per eam oborti. §. XI. Invasio nocturna seu Laniena Tigurina. §. XII. Quæ eam fuerint subsequuta? §. XIII. Fædus Tigur. æternum cum Helvetiis. §. XIV. Alberti conatus adversus hoc Fædus. §. XV. Alberti prima Urbis Tigur. obsidio & solutio. Glarona quoque in Fæderis societatem admissa. §. XVI. Bellum renovatur, & fortiter a Tigurinis geritur. §. XVII. Expeditio adversus Tugium, quod & ipsum in Fæderis amicitiam recipitur. §. XVIII. Alberti secunda Urbis Tigur. obsidio, ejusque solutio. §. XIX. Fædus Bernatum cum Helvetiis. §. XX. Caroli IV. Mediatio inter partes frustranea. §. XXI. Urbis Tigur. obsidio tertia per Carolum IV. §. XXII. Pax Albertum inter & Helvet. obque eam exorta lites. §. XXIII. Alia quæ secuta sunt usque ad mortem Caroli. §. XXIV. Tigurinorum animus pro defendenda Libertate. §. XXV. Libertas Tigurinorum asserta. §. XXVI. Rationes, quod Fædus Tigurinorum cum Helvetiis sit legitimum. §. XXVII. Aliæ rationes afferuntur. §. XXVIII. Exceptiones adversus Fæderis Helv. exemptionem ab Imperio. §. XXIX. Eæ diluuntur. §. XXX. Alia pro justitia Fæderis Helv. §. XXXI. Status Urbis Tigurinæ Ecclesiasticus. §. XXXII. Ulterius declaratus. Epilogus.

Historiam inter Scientias haud postremum obtinere locum, nullus qui vel obiter utilitatem ejus perpenderit, dubitabit.

Gentiles jam pridem utilitatem hanc agnovisse extra controversiæ aleam positum est, Polybio ita de illa pronunciante; ἀληθινωτάτην μὲν εἶναι παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν. ἐναργεστάτην δὲ καὶ μόνην διδάσκαλον τῆς δύνασθαι τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς

βολὰς γεννάειως ὑποφέρειν , τὴν τῶν ἀλλοτρίων περι-
 πετειῶν ὑπόμνησιν : *Verissimam quidem institutionem*
esse , ac præparationem ad capeffendam Rempublicam ,
doctrinam illam quæ ex historia paratur : Magistrum ve-
ro unicam , eamque præsentissimam , ut possit aliquis
fortunæ mutationes generose fufferre , alienorum casuum
recordationem. Lib. I. p. I. Non male gentilis :
 Exempla enim in Historia proponuntur ; hæc au-
 tem instituere & multum prodesse quis negabit ?
 Exempla invenies bonorum consiliorum ; ad imi-
 tationem : fraudum item & malorum consiliorum
 cum digno iis eventu ; ad monelam : non modo
 talia , sed & multarum insignium mutationum in
 Imperiis , Regnis & Rebus publicis , de quarum
 causis cavendis te præmonent. At majorem Gen-
 tilibus usum habent ex Historia Christiani , utpote
 in quorum Historia non modo exempla iræ , ut in
 Ethnicorum , sed & misericordiæ , manifestæque
 præsentia Dei testimonia prostant , quæ hi ad au-
 ctorem suum Deum , hujusque gloriam pia animi
 contentione referre discunt. En utilitatem Histo-
 riæ nunquam satis laudatæ !

Quæ facit ut longos durent bene gesta per annos ,
 Et possint sera posteritate frui.

Hanc Basilus Macedo Seculo IX. ad Leonem VI.
 seu Philosophum , filium , scribens probe sensit :
Per historias veteres , ait , ire ne recusa. Ibi enim re-
peries sine labore , quæ alii collegerunt cum labore , at-
que illinc hauries & bonorum virtutes , & improborum
vitia , vitæ humanæ varias mutationes , & rerum in
ea conversiones , mundi hujus instabilitatem , & Impe-
riorum præcipites casus , ac ut verbo complectar , malo-
rum facinorum pœnas , & bonorum præmia : quorum
 illa

illa fugies , ne in justitiæ divinæ manus incidas : hæc amplecteris , ut præmiis , quæ ea comitantur , potiaris.

Quod si autem tantæ utilitatis sit Historia in genere , certe plus utilitatis & jucunditatis afferet illa Soli natalis in specie ; si enim illorum , quibuscum nihil nobis intercedit rei , fata perlustrare juvat & delectat , quanto jucundius utiliusque erit contemplari , quæ in ea societate gesta sunt , cujus nos membra Deus esse voluit , videreque quibus initiis res Patria cœperit , quibus adoleverit , perstetque hunc usque diem ; quæ fuerint secundæ adversæque fortunæ , belli pacisque vicissitudines ; quænam ipsi salutaria , quæ contra noxia & pestifera fuerint. Mihi ab hisce invitato in Historia Patria rudimenta ponenti , imprimis memorabilia visa sunt illa in Patria , tempore Caroli IV. Romanorum Imperatoris , gesta ; Statum igitur Urbis Tigurinæ sub eodem , pro infirmo captus modulo ; brevi , quam vides , dissertatiuncula , non quod sus Minervam , aut captandæ novarum observationum ac singularis scientiæ in Patriis rebus gloriæ , sed alicujus in iis tentaminis & exercitii ergo , proponere conabor. Instituti autem ratio postulare videtur , ut prius quædam summam , digressione facta , de Carolo IV. Imperatore præmittam , quam ad Urbis Tigurinæ , illo rerum potiente , Statum Politicum imprimis , attamen & Ecclesiasticum quoque , describendum accedere licebit. B. L. modo conatum meum quantumcunque ἐπιεικῶς accipiat , benigneque de illo judicet , quæso , rogitō.

I. Carolus

I. Carolus IV. fuit natus patre Johanne Bohemiae Rege, filio Henrici VII. Imperatoris; matre Elisabetha filia Wenceslai IV. Bohemiae Regis, anno 1316. Ne a Bohemis gubernaculis admo-
veretur, anno ætatis circiter quarto a patre in Galliam ad Carolum IV. affinem suum fuit missus, a quo illi nomen Caroli impositum, cum antea Wenceslai nomine venisset. Ibi educatus fuit & prima militiæ tyrocinia fecit, Historicisque obser-
vantibus mores & consuetudines Gallicas in Germaniam transtulit, præsertim in augendis Civita-
tibus, quarum robur dixit Imperii vires. Accedente militari ætate, militiam in Italia colere a patre iussus, ibique re bene gesta, domum vo-
catus Moraviæ Marchio designatus fuit.

II. Carolum hunc Electores instigati a Clemen-
te VI. sævissimo Papa, post repetitas in Ludovi-
cum Bavarum Imperatorem execrationes, in op-
pidulo Rens prope Confluentiam sito, Imperato-
rem crearunt anno 1346. Nihil tamen superstite
Ludovico contra eundem, sive reverentia sive
metu ejus, molitus est. Sublato autem per vene-
num Ludovico, plerique Principes Carolum con-
tra leges electum pronunciantes sceptrum Eduardo
III. Angliæ Regi e victoriis nuperis incluto obtule-
runt; Ille vero tantis motibus in Gallia & Germa-
nia componendis se imparem prudenter ratus,
Electores se comiter excusavit, qui renovata
deliberatione Imperio Fridericum Thuringiæ Land-
gravium, Misniæ Marchionem, Principem lauda-
tum, Ludovici Bavari generum invitarunt, cum
vero hic ob ingentem pecuniæ vim a Carolo ob-
latam aliasque rationes partes Caroli amplectere-
tur,

tur, persuasus tandem ab Electoribus Guntherus Suarzburgicus, Princeps bellicosissimus sceptrum cepit, sed ob venenum ei propinatum non diu gessit. Quo defuncto Carolus IV. plurimis largitionibus paratum Imperium anno 1350. tandem quietum possidere cepit.

III. Anno 1354. Carolus invitatus Italiam petiit, Mediolani ferreo diademate insignitus est; Vicecomitum Familiæ post solutam ingentem pecuniæ summam concessit, ut per Longobardiam Cæsaris essent Vicarii perpetui; Deinde Romam venit, ubi turpissima conditione, intactis rebus omnibus, Roma Italiaque statim se discessurum, Coronæ impositionem ab Innocentio VI. tum temporis in Galliis sedente, mercatus, in Germaniam inglorius Augustus, Servo Servorum obedientissimus rediit.

IV. In Germania postea, convocatis in urbem Metim Principibus, multo consilio, magnaque sapientia condidit maxime decantatam Legem Carolinam, celebrem illam Auream Bullam, qua ambitioni, simulatibusque Principum in Electione Cæsaris oriri solitis, atque hostium machinationibus obviam ire feliciter instituit, cujus descriptionem nonnullam Matth. *Theatr. Hist. in Carol. IV.* plura de ea exhibet Joh. Limnæus *Jur. Publ. Imp. Rom. T. I. c. XI.* Inter laudes Caroli etiam haud injuria referas, quod quinque linguarum callentissimus, Pragæ exornator diligentissimus, Academiæ novæ ibi excitatæ auctor, Eruditorum fautor, ipseque doctus fuerit.

V. Quanquam Carolus multis actionibus male consultis in gravem vituperationem hominum adductus fuerit, quod Bohemici Regni incrementa ac gloriam cum Imperii damno quæsit, Marchiam, Silesiam, Lusatiam, Bohemiæ adjungendo; Jura Regni Arelatensis neglexit; indelebilem imprimis nomini suo maculam auri sacra fame, quæ mortalia pectora magnorum cæterum Principum ad multa se indigna coëgit, inussit, omnia ubique omnibus præsertim in altero itinere Italico concedendo, e quibus pecuniam abraderere poterat; Filio denique suo Wenceslao, principi ignavo, Imperium pretio, cum virtute non potuerit, comparando, publicis vectigalibus pignori datis; quo consecutus est, ut Maximilianus I. de eo dixerit: Pestilentiore illo peste nunquam Germaniæ contigisse. Fatis Carolus functus est anno 1378. Imperii a prima designatione anno 32.

VI. Præter ea, quæ hætenus de Imperio Caroli IV. præfatus sum, alia non minus notatu digna sunt, quæ ejus ætatem illustrant, quemadmodum, ut verbo præcipua attingam, in Gallico Regno finis Lineæ Regum Capetingorum, & novæ Lineæ Valesiorum initium; Bellum cruentissimum Regum Anglicorum cum Gallis de Regno Franciæ; Captivitas Johannis Gallici Regis: Initium schismatis Antipaparam, quorum alter Romæ, Avenione in Gallia alter sedit, in Urbano VI. & Clemente VII. post Sedis Romanæ in Galliis 70. an: exilium: In Septentrione maximi motus, qui fœdus illud Hanseaticarum Urbium, antea initum, a Carolo IV. confirmatum, celebre reddiderunt: Infausta pulveris nitrati inventio: In
Orien-

Oriente Calo-Johannis Græci post Johannem Cantacuzenum, amicitia Græciæ feralis cum Amurathe Turca, qui Adrianopolin cepit, & regiam sibi statuit: In Anglia renascens Evangelii in mediis Antichristianismi tenebris lux: & id genus alia; Inprimis Urbis nostræ Tigurinæ varia conditio, quam nunc latius deducam.

VII. Historiam Tigurinorum inspicientem, motus & bella, quæ tempore Caroli IV. experti sunt, aliunde non promanasse, quam a mutatione illa Reipublicæ Formæ, haud latebit: paulo igitur altius ascendendo a capite rem arcessam. Ab aliquibus retro seculis, ut Nobiliss. Tschud. *Chron. Mscr. ad A. 1335.* notat, Tigurinorum Rempubli-
cam XXXVI. administrabant Viri, ita ut quadrimestri tempore inde ab anni auspiciis eorum duodecim, duodecim alteri quadrimestre sequens, ad finem vero usque anni duodecim reliqui scepra tenerent, quorum semper dimidia, saltem aliqua, pars e Nobilium, e Civium ordine dimidia altera lecta erat. Conf. Cel. J. Jac. Hotting. *Hist. Eccles. Helv. T. II. Lib. 5. p. 154.* Tschud. *Chron. Mscr. ad A. 1336.* Fidem itaque non merentur Stumpfius *Mscr. ad A. 1111.* & alii, qui existimarunt, duodecim tantum per integrum annum Viros Reipublicæ præfuisse; obloquuntur enim hi Historicis fide dignissimis: eorumque error videtur ex eo natus, quod ex XXXVI. Viris Senatum constituentibus penes duodecim solos per anni partem summa rerum fuit.

VIII. Hunc Senatum Collegii Carolini Canonicos elegisse asserit Joh. Stumpf. *Mscr. lib. 2. ad*

A. 1111. Sic communem tulisse famam tradit Incomparab. Bulling. *Chron. Mscr. Lib. 5. cap. 10.* pluribus Historicis aliis idem tradentibus. Joh. Stumpfius autem Collegio Monialium Abbatissano jus illud eligendi Senatam, sibi contradicens in typis expressa Historia sua, attribuit *Lib. 6. cap. 14.* Aliter sentit Celeberr. noster J. Jac. Hotting. in *Hist. Eccles. Helv.* cives Senatam creasse, ipsis Canonicis consententibus, affirmans. *Vide Lib. 5. p. 39. conf. ibid. p. 52, 53. & Lib. 4. p. 435.* alibique. Videntur adeoque illi incerta traditione niti vel aliunde ad id tradendum inducti; sed si vel hic vel alibi regiminis civilis potiti fuissent, saltem fateor, quomodo hoc cum Personarum Ecclesiasticarum officio cohærere possit, me non videre.

IX. Stetit commemorata hæc Reipublicæ Forma, quamdiu ea, qua par erat, æquitate administrabatur; obortis autem inter ad clavum sedentes factionibus, iisdem insolentioribus factis & peculatus accusatis, cives tributorum impositorum impatientes A. 1335. rationem ab intermediis duodecem-Viris petiere, quorum octo facinoris conscii sese subdixerunt; reliquorum ordinum rei tum sponte terga dedere, tum pecuniis exilioque, aliquot annorum multati, data prius fide se nullas patriæ insidias molituros, illorumque posterius una cum ipsis regimine in perpetuum exclusi sunt. Pensitata postmodum hac Oligarchia, quod nihil aliud quam privati commodi studium sit, unde postea magna malorum agmina orientur, consilium inritum est de mutanda Reip. Forma, & quia ex antiquis Instrumentis, licet Tschud. *Chron. Mscr. ad A. 1337.* id neget, haud obscuro-

obscurum erat, Civitatem in Tribus olim fuisse distributam, easdem rursus erigere, & ad aliarum Civitatum exemplar Consules, Senatores & Tribunos eligere decretum est; In pristinum redacta ordinem igitur vel constituta noviter Forma, quæ Aristocratica dici meretur, & dubio procul, repagulis adversus metuendam corruptionem providentissime per sapientissimas Leges positis, rebus sic comparatis optima est, Consulque constitutus fuit D. Rodolphus Brunius, vir splendore generis insignis, una cum adjunctis aliis illi Consiliariis Minoris & Majoris Senatus. Forma autem Regiminis in Instrumentum, quod vocamus *der geschworne Brief*, relata est, quod cives hodierno adhuc tempore, tanquam præcipuam Legem Fundamentalem, singulis annis iterata vice jurejurando firmant; Immutatum quoque hucusque, quæ singularis Dei gratia est, Regimen hoc primariis in partibus permansit; cujus descriptione uberiore brevitatis causa supersedeo: Confirmatum postea non modo a Cœnobii, quod Abbatissanum cluet, Abbatissa, & Collegii Carolini Præposito Crastone, ex Toggicorum Comitum stemmate nato, verum etiam a Ludovico IV. al. V. Bavaro, & Successoribus. Apographum Privilegii Ludovici, videsis in Bulling. *Chron. Mscr. lib. 7. cap. 16.* Tschud. *Chron. Mscr. ad A. 1336, 1337.*

X. Exules 14. mutatione hac irritati, undique auxiliatrices quæsiere manus, eos tandem hospitio Rapperswilæ excepit, civitatis jure alias Tigurinis conjunctus Johannes Comes Habsburgicus, illisque inde omne injuriarum genus Tigurinis inferre permisit. Tigurini vero, ubi multa fuissent per-

peffi, frustra que coërcitionem hominum horum contra fidem datam agentium a Comite expetivissent, missis copiis tractum Rappersuilanum vastarunt; mox quoque suas copias cum Diethelmi Comitis Toggici, qui cum Habsburgico de Arce Grynoviensi contendebat, junxerunt, arcemque illam vi occupare, sed frustraneo cum successu, captoque Toggicorum Comite, tentarunt; repulsi tamen animum viresque collegerunt, & renovato prælio Johannem Habsburgicum gravi clade affecerunt, eumque occiderunt. A. 1337. Dissidentes quidem partes Ludovicus Imperator & Albertus Austriacus Augustæ Vindelicorum componere, exilio ejectorum Sentaorum ad 5. annos reducto, iisque injuncta pecuniæ summa Tigurinis solvenda, studuerunt; sed vindictæ studium cum apud Exules, tum apud Filios occisi Comitis Habsburgici, Johannem juniorem ejusque Fratres, odii paterni hæredes, mansit ardentissimum.

XI. Fidem datam itaque Exules, damna quotidie inferentes, non servarunt, quapropter cum consensu Ludovici Imperatoris ædes illorum & bonorum in urbe reliqua Tigurini fisco adjudicarunt. Dein lis denuo ab Agnete Hungarorum Regina & aliquot Imperii Urbibus pace terminata ita fuit A. 1340. ut Exules sese Tigurinis penitus dederent, eorum judicio de se starent, atque juramento, securitatem vitæ suæ tantum a Tigurinis stipulantes, - subjectionem pollicerentur. *Tschud. Chron. Mscr. ad A. 1340.* Ast Exules juramenti obliti clanculum identidem insidiis Tigurinos petierunt, Nobiliumque amicitiam aucupati, fœdere se Habsburgico Comiti junxerunt, & ita
ad

ad A. 1350. Lanienam illam Tigurinam severunt, cujus historiam, cum a probatissimis Historicis descriptam accurate habeamus, fusius recensere supervacaneum duco, satis habens memoratu dignissimas observasse circumstantias, videlicet; Exules ubi 800. milites in ædibus civium perfidiæ hujus consortium abdidissent, Comitem Habsburgicum magno cum comitatu Urbem sub amicitiae confirmandæ prætextu (juxta alios clam) ingressum fuisse, copiis, quæ ad Urbem constituto tempore advolarent, conscriptis; nocte vero ipsa, quæ ad lanienam inferendam dicta erat Matthiæ A. 1350. stupendum in modum tum per pistoris cujusdam puerum fortissimo Consuli Brunio, tum per piscatorem aliis civibus, postquam Comitem Toggicum de fuga sibi prospicientem Limagi undis sepelivisset, conjurationem detectam; Conjuratos post acerrimum prælium a concurrentibus civibus, præsertim Curiae proximis Lanii fortissime victos, plures, quos inter ipse Comes Habsburgicus numeratus fuit, captos, eorumque nonnullos mox ultimo, digno scelere, supplicio affectos fuisse. Res sane tanto memorabilior, quanto majus periculum sibi imminens Urbs nostra evaserat, quantoque majora eam subsecuta fuerant; Unde qui fidem probatissimis Historicis rem hanc commemorantibus denegare sustinet, in rebus Patriis hospes & Tigurinorum libertati parum æquus mihi videtur. Communis enim antiquorum Auctorum consensus, inde ad nos deductæ solemnitates, ipsaque res consentiunt, quæ nihil, quod creditu difficile, factu impossibile, aut ab exemplis similibus abhorrens sit, nobis exhibet. Nobiliss. Tschud. Chron. Mscr. ad A. 1350. Ampliss.

pliff. Rhan. *Hist. Helv. Mscr. T. I. ad annum eundem.* Suizerus *Hist. Mscr. Lib. 3. c. 1. seq.* Joh. Stumpf. *Helv. Chron. lib. 6. c. 18.* Magn. Bulling. *Chr. Mscr. Lib. 8. c. 1. 2. 3.*

XII. Tigurini vero prudenter secum volventes, hostium animos sinistro hoc consiliorum successu ferocios factos, omni modo vindictam sibi machinatos esse, consilium capiunt de Rapperswilensibus coercendis, ne sibi damna ulterius sint ab iis extimescenda. Rapperswilam itaque armis ad deditorem cogunt, & post nonnullas inducias, cum hostes quiescere nondum possent, nec aliquoties oblatam pacem accipere vellent, Rapperswilæ Castellum novum & vetus, una cum Urbe funditus delent; idque non insciis sed monitis hostibus, necessitate adactos se fecisse, licet aliter promisissent, docent, quia certiores redditi, Albertum Austriacum, cujus cum Præfectis anno præcedente fœdus 6. an. initum, bellum adversus se meditari. Waldneros autem Nobiles de Sulz, Comitibus Habsburgici Clientes fiduciaros, quos Vasallos barbare dicunt, Domino suo illata damna in Tigurinis ulciscentes, ac Basileenses atque Argentoratenses in partes belli trahentes, per jus Repressaliorum, vel Viri-capionis seu *Ἀνδροληψίας* potius, cives eorum captivos retinendo, in ordinem redigunt; Præterea Legatos ad Carolum IV. ad Sceptrum nuperrime admotum mittunt, cui res Tigurinorum undiquaque afflictas exponunt, eumque, ut se potenter tutetur rogant, nihil quicquam, quam ampla promissa obtinentes: Nec non ad Albertum (aliis Fridericum) quem tum temporis in Helvetia fuisse dicunt, ad accen-
sum

sum adversus se Ducis animum cum muneribus splendidis placandum, tum se ob Rappersuilam destructam & Marchiam vastatam solícite excusandum, quandoquidem jus belli hostes suos ibi aggredi, unde damna inferre solent, unicuique concedat; sed vero Dux, licet primo se amicum Tigurinis Legatis simulasset, his nihil motus, nec amicam disceptationem coram iudice admittens, minas tetras addit, nisi damnum illatum resarciant, sibi que vehementer læso, eo quod Comites Habsburgici sui Clientes tantum fiduciarium sint, satis dent. Quanquam Nobiliss. Tschud. *Chron. Mscr. ad A. 1330. & 1351.* observet, multis artibus Austriacos sibi Rappersuilam veterem acquisivisse, multosque existimasse eam nunquam fuisse feudum Austriacum, idque Tigurinos latuisse, & instrumenta hanc in rem producta supposititia, eamque solam ob causam conficta esse, ut Dux prætextum Tigurinos bello aggrediendi haberet.

XIII. Tigurini igitur cum inter sacrum saxumque starent, nec quid agendum scirent, nec ab Imperatore auxilia, nec ab Austriaco Duce & Comitibus Habsburgicis pacem impetrare possent, nec tot hostibus, imprimis infensissimis sibi Nobilibus, pares se fore prospicerent, salutis suæ a se melius provideri & consuli non posse existimarunt, quam si fœderatorum hæctenus quatuor Pagorum, Lucernensis, Uraniensis, Suitensis & Under-Waldensis, amicitiam ac fœdus ambirent, eorumque auxilia sibi pararent, quos aliàs jam noverant sibi bene velle. Non minus volupe hoc Pagis laudatis accidit, eo quod hac ratione firmiter Fœdus suum fieret accessione Urbis Tigurinæ & viribus

& virtute celebris. Missi ea de caussa Tigurum a quatuor Pagis Legati A. 1351. qui de Fœderis conditionibus ibi agerent; Fausto quoque omine Fœdus æternum initum, ac una cum conditionibus in Instrumentum publicum A. 1352. demum, quod ob belli pericula antea fieri nequiret, relatum, atque inter Pagos Urbi Tigurinæ ob Urbis tum antiquitatem tum potentiam prima sedes, quam hucusque servat, concessa fuit. Et hæc quidem occasio, vel, si malis, necessitas ac initium æterni Tigurinorum cum primis Helvetiis Fœderis est. Sed res magno stetit Tigurinis: nam prout in hunc usque diem per Dei clementiam Tigurina Respublica inenarrabilia emolumenta, perennem salutem ac magna decora una cum Helvetia reliqua ex hoc Fœdere auspicate consecuta est, ita ab initio internecinum odium plurimorum, quos inter inprimis Austriacos referas, & bellorum gravissimam molem per illud sibi attraxit, quæ tamen omnia, Deo clementissime annuente, feliciter superavit; Ut ex sequentibus *ὡς ἐν συνόψει* allegatis patebit.

XIV. Albertus enim cognoscens rem non parum arduam fore Pagos illos Tigurinis in præsentiarum junctos armis subigere, Tigurinos aggredi constituit, his debellatis illos mox in potestatem suam redactum iri sperans. Quo fine, ut suppetias ferrent, apud omnes Germaniæ Principes contendit, ne concenturiati hi rustici (hoc Helvetiis indidit nomen) inprimis si multiplicarentur, detrimento essent Imperio, damnumque inferrent Nobilibus. Animo etiam hi lubenti præsto erant, ut ita Albertus brevi exercitum 2000. equitum & 20000.

20000. peditum (alii numerant aliter) collegerit, quos inter 5. Duces, totidem Episcopi, 26. Comites & aliquot Imperii Urbium auxiliares copiae erant praesentes. Tigurini interea temporis, utpote quibus jam praevium fuit, rem suam in discrimen adductum iri, manus in sinu haud foverunt; sed Urbem munierunt, firmum praesidium a quatuor Pagis petitum acceperunt, omniaque ad obsidionem & oppugnationem tolerandam quam diligentissime composuerunt.

XV. In Septembre igitur anni 1351. Austriae Dux copiis suis circa fluvium Glatt usque ad aedes leproforum dispositis Urbem Tigurinam obsidere coepit, mox utrinque saepius velitaribus pugnis dimicatum, superatis plerumque obsidentibus, est. Paucis vero ab incepta obsidione post diebus opera Comitum Toggici Friderici, Hirtaci a Rechenberg, nec non Urbium Bernensis & Basileensis obsidio hac conditione soluta est, ut integra causa Tigurinorum & reliquorum Helvetiorum iudicanda quatuor Arbitris, & ubi non conveniret inter hos, decisioni Reginae Hungariae Agnetis, cui Tigurini astutiam ejus non perpendentes nimium fidebant, traderetur, nihil tamen quod damno foederi Pagorum cum Tigurinis foret, concluderetur, tandemque praecipuorum Tigurinorum civium 16. Duci obsides darentur, a Duce vero his immunitas ab omni injuria promitteretur. In conventu dein Koenigsfeldensi durissimis atque injustissimis ab Austriaci Ducis Arbitris propositis conditionibus, pro quibus etiam Regina Hungariae stetit, ab Helvetiorum Arbitris reclamatum diu, tandem vero a Tigurinis ac reliquis Helvetiis,

tiis , temporis injurias & statum suum ob hostium potentiam lubricum secum reputantibus , consensus ægre præbitus est. Sed quod aut oblivione , aut studio Johannis Habsburgici liberatio non fuerit adjuncta , Duci Austriaco a Fratribus Habsburgici ad hoc instigato condiciones non fuerunt probatæ , quare Tigurinorum , concedere hanc nolentium , obsides in carceres coniecti pessimeque habiti sunt. Tigurini postea , Austriacum Glaronensium regionem , quo non solum bellum illis inferret , sed & Suitensibus omnem ferendi auxilii occasionem eriperet , occupaturum esse moniti , ut præveniant copias eo mittunt , quæ nemine sese opponente regionem capiunt , Incolæ vero Austriacam gubernationem alioqui nauseantes in Fœdus Helveticum , antiqua Regiminis Forma restituta , excipiuntur , cujus Instrumentum A. 1352. demum conscriptum est.

XVI. Qua re cum Albertus magis magisque ad iram commoveretur , ipsiusque copiæ Badæ in præsidium datæ crebris incursionibus Tigurinos diu noctuque vexarent , ille undiquaque auxilia corrasit : Tigurini verò a Fœderatis , ut sibi subsidio proficiscerentur , expetiverunt ; Ita quidem bellum recrudit , & Tigurini adulto anno 1351. ut præsidium Austriacum Badæ impositum compescerent , excursionem cum 1300. militibus (alii plures , pauciores alii habent) Badam versus fecerunt , ibi incensis thermis castelloque Freudnoviensi , & abacta opima præda domum redituri ad Tettivillam vias a 4000. Austriacis infessas deprehenderunt ; quo cognito cum quid factu opus esset , Tigurinorum primarii Duces , Brunius Consul,

ful, Ruthgerus Manessius & Stukius Vexillarius; consilium inirent, Brunius clam reliquis se in arcem suam Schœnenwerd subduxit, Manessius ne metu milites propter hanc fugam Ducis diffugerent, prudenti oratione iis persuasit, in Urbem Brunium concessisse, ut fortem militum manum in subsidium adduceret; forti dein animo Tigurini hostes suos aggressi, & tum stratagemate (qui laudabilis, & bonis probatus bella gerendi mos, quo ingenii potius, quam virium, quæ sæpe defuerunt, opibus gloria quæritur, Majoribus nostris usitatus fuerat) equas captas admiffariis, quibus Austriaci sæpe usi, equis opponendo, quare efreni redditi sunt; tum forte fortuna advolante parva accolarum lacus Tigurini, qui castra Brunii sequi voluerant, manu, magno prælio superarunt, nam Tigurini, ubi suos e dato per clamorem signo percepissent, Brunium cum copiis adesse rati sunt, hostes vero ea re perculsi magna festinatione Badam repetiverunt. Quanto major vero victores hos domi mansit gloria, tanto major ex altera parte Brunio viro alias invictæ fortitudinis a nonnullis tributa est timiditatis culpa, ita ut vix infamiæ notam effugerit. Votum interea, dum angustia suos premi audirent, a Tigurinis concipitur, celebrandi ad Virginem Eremitanam annuam peregrinationem religiosam, ex singulis Tigurinorum familiis uno proficiscente, quæ A. 1523. abrogata est.

XVII. Sequenti anno 1352. dum omnes Helvetii præsidia sua adhuc Tiguri haberent, Waltherus de Stadion, ejectus a Glaronensibus, Præfectus Alberti, regionem Glaronensem, ut sub jugum

gum mitteret, invasit, sed victus prælio cum multis suorum cecidit. Eodem tempore, ne Suintenses Glaronensibus succurrerent, Tugini navibus Artham proficiscentes eorum agros invaserunt, ast eadem illis fors, quæ & Walthero apud Glaronenses obtigit. Cum itaque crebris excursionibus Austriaci & Helvetii se invicem divexarent, ac Tugini militibus præsidariis identidem damna inferrent, Helvetii Tuginos obsidione cinxerunt, qui, Austriaco civibus suppetias ferre negligente, aviumque suarum majorem curam habente, aliquot post dies deditionem fecere, & Helvetico Fœderi juncti sunt.

XVIII. Hisce magis accensus Austriacus Dux hinc inde acceptam jacturam pensaturus, hoc 1352. anno exercitum 2000. equitum & 10000. peditum (aliis 4000. equitum & 30000. peditum) conduxit, illumque eodem quo in prima obsidione modo disponens, Tigurum denuo obsidione preffit; Sed Helvetiorum 2000. militum præsidio Urbs munita fuit. Durante hac obsidione trium septimanarum nihil memorabile admodum gestum est, nisi quod pontem, quo Austriaci Limagi fluvium commiserunt, pabuli petendi causa, obsessi rati- bus flumini rapido impositis interruperint; Lucernates cum paucis aliis e præsidio egressi adversus Austriacos pabulatos repulsi fuerint; & tandem interventu Marchionis Brandeburgici, sub Alberti signis militantis, obsidio inopinato fuerit soluta: partibus dein Lucernæ congregatis, convenit tandem inter eas, ut Johannes Habsburgicus Tiguri captus, & contra 16. obsides Tigurinorum apud Ducem in carcere detenti, utrinque indemnes dimitte-

mitterentur; Tugieneses & Glaronenses, salvo tamen, quod illis cum reliquis Pagis intercedebat Fœdere & Juramento (Simlerus hac de re seu minus bene seu obscurius loquitur *de Rep. Helv. Lib. I. p. 138.*) Duci quod deberent præstarent; Helvetii promissis steterunt, Dux non item: Johannes enim Habsburgicus absque pretio liberatus est; Tigurinorum obsidibus vero antequam libertatem adipiscerentur 1700. (al 1600.) floreni persolvendi erant. Maxima certe hæc rerum fuit catastrophe & admiranda Dei in Helvetios, imprimis Tigurinos, clementia, qua rebus afflictis potentissime succurrit, nam cum ante annum Albertus iniquissima & in eorum jura injuria præscriberet, nunc multum se lucratum fuisse, acceptis commemoratis pacis conditionibus, existimavit.

XIX. Pax hæc diuturna non fuit, nam novas indies Albertus & quæsit & reperit belli causas; Velut cum Bernates occasione litis, quam pro cive suo Barone de Ringgenberg cum Underwaldensibus habebant, cum tribus Pagis Uraniensi, Suitensi & Underwaldensi Fœdus æternum A. 1353. iniverunt, hac cum appendice, ut si hi a Bernatibus ad auxilia vocarentur, etiam Confœderatos suos Tigurinos & Lucernates evocarent; ita vicissim Bernates, a Pagis illis moniti, auxiliares copias Tigurinibus & Lucernatibus mitterent; quæ conditio A. 1428. mutata est, ut Tigurini & Bernates se invicem, insciis reliquis, ad auxilia accersere possint.

XX. Albertus, cui Fœdus Helveticum, magnis accessibus auctum, sudes in oculis, melius Helvetios

vetios se non divisurum esse, nisi Tigurum sibi subjiciendo ratus, Tigurinos præ reliquis coram Imperatore Carolo IV. & Statibus Imperii in Comitibus Wormatiensibus, dein in Alsatia, quo Carolus ivit, gravissimorum criminum iniquissime accusavit, & Caroli atque Imperii auxilia imploravit. Carolus A. 1353. Tigurum venit, & partibus utrinque ad se admittis, discessurus monuit, ut promissis erga se invicem interea starent. Rediit postea Imperator A. 1354. Tigurum, atque ut Helvetii, imprimis Tigurini, Fœderi suo renunciarent, dein ab utraque parte, ut litis judicium sibi penitus committerent, petiit, in quod cum Helvetii, nisi salvis suo Fœdere & Privilegiis non consentirent, ira commotus Tiguro discessit, atque Alberto, qui licet ob pacem firmandam rogatus, in Lucernenses, Tugieneses & Glaronenses jura sua Imperio vendere noluit, auxilia adversus Helvetios addixit.

XXI. Inducias pactas Imperator, assiduis Alberti interpellationibus fatigatus, mox per literas Tigurum missas renuncians, Helvetiorum hostem se professus est; propterea Tigurini, quo fortius resisterent, omnia parant, Helvetiique, quod Tigurini propter constantiam in fœdere servando tantum subire debebant periculum, Urbem eorum 1500. militum præsidio firmant: Tugiensibus & Glaronensibus sua tueri jussis. Albertus itaque post Jacobi feriam A. 1354. potenti copiarum manu Tigurum aggreditur, & circa fluvium Glatt castra metatur. Mox ad eum, uti & Tigurinos, Johannes Habsburgicus accedit, paciscens, ut sibi quiescere inter partes litigantes liceret; quod ab Helve-

Helvetiis obtinet ; sed statim perfide agit, atque Alberto Rapersuilam cum omnibus suis juribus in manus tradit, qui relictis castris eo concedit, urbem restaurat, præsidio munit, & Tigurinorum præsidium Meilæ fundit. Imperator interea ipse, plurimi Duces, Comites & Civitates, dum Albertus Austriacus redit exercitu numerofo (numerant sc. 44000.) vastatis omnibus urbem cingunt ; sed obsessi, quorum 4000. fuisse tradunt, parum otiosi urbe sæpe exeunt, ut hostibus dama inferrent : eos egressos aliquando hostes aggressuri videbantur, at contendentibus (ita referunt) inter se Imperatore, Alberto & Episcopo Constantiensi, quis in oppugnandis hostibus primas teneret, ad manus non ventum. Obsessi interim turri alte vexillum nigra aquila insignitum infigunt, significaturi Tigurum inter liberas Imperii Civitates numerandum esse, mittuntque Legatos ad Imperatorem, ut diutius ita procedere desisteret, implorantes ; Imperator Legatis placide auditis, & copiarum suarum plures Urbium libertatis studiosas esse, perpendens, denuo Austriacum Helvetiis reconciliare conatur ; illo autem omnem cum his amicitiam renuente, cum copiis suis & Imperii ab obsidione discedit ; quem mox Albertus, novi Pagorum præsidii adventu territus, sequitur, copias tamen suas oppidis & castellis vicinis, quæ Fœderatorum fines infestarent, imponit. Multas etiam afflictiones ab illis illatas Urbs Tigurina passa est ; uti Bacchanaliorum tempore A. 1355. milites urbes Bremogartum & Badam tutantes conjuncti Tigurum versus excurrerunt, verum deprehensi a Tigurinis, dum domibus aliquot ignem injiciunt, & prope 60. occisi. Ita quoque agris in-

commodabat Hungaricorum equitum sagittario-
rum, Austriaco inservientium, agmen, sed fa-
ctum est, ut, cum illos telorum copia destitue-
ret, regione excedere cogerentur.

XXII. Pax tandem studio Caroli IV. Impera-
toris, ubi utraque pars bello defatigata ad pacem
aspirasset, A. 1355. Ratisbonæ ad Danubium sitæ,
inita his potissimum conditionibus fuit; Ut hoc
bello occupata utrinque restituerentur: Ne Tigu-
rini Austriaci Ducis subditos cives asciscerent, nisi
illorum commigrarent in Urbem: Qui feuda ha-
berent, ab eorum Domino jus peterent: qui ali-
orum possessiones occupassent, restituerent, aut
juri se sisterent, exceptis tamen Exulum bonis:
Ne Tigurini in posterum fœdere se jungerent sub-
ditis Austriacis, potius vero Ducem, ut jus su-
um consequeretur, juvarent: Ut integrum sal-
vumque esset Helveticum Fœdus &c. Interim
Alberti Legatus verbis nonnullis significavit, Tu-
giensium & Glaronensium cum Helvetiis Fœdus
vi hujus pacificationis fuisse abolitum, quapro-
pter, ut & ob alias difficultates, reliqui Helvetii,
exceptis Tigurinis, pacis conditiones prius nolue-
runt accipere, quam Imperator clarius mentem
suam explicuisset. Imperator A. 1356. in gratiam
Alberti, sed ab eo coactus, respondit. Cum ita-
que Alberti Præfectus Tugiensibus & Glaronensi-
bus, ut Helvetiis amicitiam renunciarent, insti-
tisset, atque vim minatus fuisset, Suitenses Tugi-
um (ut antea quoque factum ab iis est) & Glaro-
nam copiis suis denuo subjecerunt, Fœdusque cum
illis ibi renovarunt, Legati autem Tugio &
Glarona Suitiam missi Helvetiis fidem juramento
quo-

quoque obstrinxerunt. Tigurini, ut bellum avertent, Legatos Viennam ad Albertum A. 1357. miserunt; sequenti anno Dux Rodolphus, Alberti hoc anno defuncti filius, in Helvetiam venit, inducias concessit, quæ sæpius postea prolongatæ fuerunt, reservatis Ducis Austriaci in Pagos illos antiquis juribus. Quæ videlicet prolixè descripta apud Nobiliss. Tschud. *Chron. Mscr. ad A. 1356. & seq.*

XXIII. Reliquis Imperii Caroli IV. annis Tigurini, continuis bellis fracti, respirare cœperunt, atque pace gavisi sunt, ita ut pauca memoratu digna consideranda supersint, quæ verbo attingisse sufficiet. Albertus Austriacus A. 1356. Fœdus quinquennale, quod A. 1359. prolongatum fuit, cum Tigurinibus pactus est. Ita Carolus IV. fœdus cum iisdem, confirmato Fœdere Helvetico, subintellectis quoque Tugiensibus & Glaronensibus, A. 1362. inivit, illisque licentiam Rappersuilam, si eam occupassent, nomine Imperii retinendi, atque plura insignia haudque vulgaria Privilegia indulgit, quæ sis vide apud Tschud. *l. c. ad A. 1362. & Cel. Hotting. Spec. Tig. p. 120. seq.* Cum Anglorum ingens exercitus Alsatiam A. 1365. (nemine certam, ob quam Angli evocati fuerint, causam reddente) vastaret, Tigurini cum reliquis Helvetiis auxiliares copias Basileensibus miserunt, Angli vero, cum Imperator exercitum adversus eos duceret, in Lotharingiam redierunt. Sed A. 1375. Angli Duce Couffino, qui seu matris seu uxoris dotem a Leopoldo Austriaco, qui ab Helvetiis urbes illas captas esse dicebat, petebat, denuo Alsatiam ac Helvetiam invaserunt,

mox post acceptas clades ad Butisholz, Ins & Frauenbrunnam re infecta, nisi quod magnum ipsi Austriaco, qui hac de causa cum Helvetiis omnibus, excepta Suitia, foedus, sed malo animo, adversus eos iniverat, damnum inferrent, discesserunt. Alias res ac foedera Tigurinorum, utpote minoris momenti, mitto, & in deducenda eorum Historia circa excessum Caroli IV. quem terminum mihi fixi, subsisto.

XXIV. Ex historiae Urbis Tigurinæ filo, quod nude, sed ad ductum fide dignorum Historicorum, ipso in *Annalibus Austriacis* Gerard. de Roo maximam partem consentiente, veritati congruenter, ad Caroli IV. obitum usque sequi constitui, nullo negotio liquere potest, quo loco statuque res Tigurinorum fuerit: Patet namque Tigurinos Libertatis, quam a Majoribus suis acceperant, tenacissimos fuisse, eamque fortiter adversus quoslibet aggressores defendisse; Neque sine causa quodam ejus zelo arserunt, postquam vidissent, quibus artibus atque insidiis liberarum Civitatum multæ in Imperio Romano sub jugum Principum potentiorum missæ fuerint. Quapropter non tantum Ludovici Imperatoris oppignorationi A. 1330. tentatæ, Ducumque Austriacorum sibi eos subjiciendi conatibus, validissime Tigurini restiterunt; sed etiam Oligarchiæ Senatorum, immerito propterea rebellionis accusati, juste se opposuerunt, inque aliam Regiminis Formam, mox ab Imperatore confirmatam, consenserunt.

XXV. Ex dictis insuper patet injuriam esse in veritatem, quicumque Tigurinos aliquo servitutis
 nexu

nexu constrictos fuisse, vel cogitare ausus fuerit; Licet enim Judicia Forensia nomine Abbatissæ diu administrata fuerint, unde appellatio ad Senatum erat, notante Cel. J. H. Hotting. *Spec. Tig. p. 65.* & Præfectura seu Advocatia Imperialis aliquamdiu ibi obtinuerit, nihilominus omnibus Libertatis juribus, quæ in Statum Imperii cadere possunt, gavisi sunt, nam quæcunque jura Majestatis sive Regalia tribuas liberrimo Imperii Statui, ea Tigurinis competitivisse non negabis; Conf. Besoldum, *Discurs. Polit. de Statu Reip. subalt. c. 5. n. 7. seq.* Limnæum *Jur. Publ. Imp. Rom. Lib. 7. c. 1. n. 49. seq. & Tom. IV. in additione ad l. c.* Hoc etiam probatu facile foret ex inductione Regalium, si id ageretur, aut quisquam sanus in dubium vocaret. Si solum Jus monetale sumas, tributum illud Tigurinis ipsis, non soli Abbatissæ, esse a Carolo Crasso gravissimi Scriptores asserunt, exque nummis probant. Vid. Cel. J. Jac. Hotting. *Hist. Helv. Eccles. T. I. ad A. 881.* sunt etiam, qui ad ipsum Carolum M. ut privilegii auctorem ascendunt. Conf. Nobiliss. Dav. Hotting. *Eruditiss. Diss. de Nummis Braclæatis Tigur.* Hoc etiam Jus a sequitis Imperatoribus sæpius confirmatum atque illustratum est. Laudatus Limnæus *l. c. n. 33.* Tigurum inter immediatas Imperii Civitates recte refert, & Imperialibus accenset, quæ hoc nomine insigniuntur, quia, ipso definiente, *l. c. eas Germaniæ Reges vel Cæsares condiderunt, eæque Imperio statim ab initio addictæ, cujus in testimonium in insignibus habeant vel aquilam integram vel ejus partem.* Sunt tamen qui alias Civitates Imperii, quæ Libere appellantur, potiore libertate gaudere existimant, sed differentia, si quæ est, tamen verba-

lis potius quam realis est , ut *ibid.* n. 34. *Limnæus* prolixè disputat. Quam distinctionem *Cel. Conringius* paulo aliter sumere videtur *Exercit. de Urbibus Germ.* §. 128. Sed liti huic me non immisceo , sufficit mihi , Urbem Tigurinam Imperii membrum liberrimum fuisse.

XXVI. Tali modo nunc se habens Urbs Tigurina fœdus cum quatuor Helvetiorum Pagis pepigit , seque æterno nexu iis adjunxit , quo nomine non tantum apud Austriacos Duces olim , sed & apud posteriores Germanorum Scriptorum multos pessime audivit , & , ut Celebris ille Goldastus observavit , cuncti Helvetii tanquam perjuri atque apostatæ ab Imperio traducuntur. Quo vero jure seu qua potius injuria id fiat , patebit. Urbs Tigurina , hujus enim nunc agitur causa , propter Senatorum suorum locomotorum malitiam ac perfidiam invasionibus , rapinis , insidiis , bellis cruentissimis , & Nobilium cumprimis odio exposita , auxilia ubique quæsivit , mox apud Ducem Austriacum , ejusque Præfectos , mox apud ipsum Imperatorem ; sed nihil quicquam impetravit , & classicum adversus se apud vicinos cani cognovit. Inter hæc angustias , cum ab omnibus præter culpam desereretur , ad fœdus cum Helvetiis , eodem fere luto hærentibus , animum appulit , confidens , unitam vim ad hostes propulsandos fortiolem esse. Et si lex de bello ab Inferioribus non gerendo in Superiores , exceptionem præsentissimi discriminis & inevitabilis necessitatis , qua etiam Superioribus resistere licet , admittat , ut *H. Grotius de J. B. & P. Lib. I. c. 4. §. 7.* *Cel. Suizerus in Comp. Grotii de J. B. & P. Lib.*

Lib. I. c. 4. §. 4. seq. habent, quidni idem Reipubl. Liberæ in eodem casu liceat?

XXVII. Neque dubitabit amplius, quin Liberæ Imperii Civitates fœdus inter se & cum aliis pangere licite possint, quisquis consideraverit, quid ipsi Juris Publici Doctores in Germania hac in reserentiant. Chr. Besoldus *de Fœderum Jure c. 3. §. 6.* post exceptiones solutas concludit rem ita: *Sicque Principibus, Civitatibus & Statibus cæteris Imperii Germanico-Romani, sine consensu Imperatoris Fœdera icere permissum est: Si illa in pace publica, sui, rerumque suarum defensione libertateque legitima conservanda, fundata sint. Non si alterius offensionis gratia suscipiantur, aut in Imperatoris vel Imperii præjudicium tendant.* Ex mox subjicit, *Imperator item ac Imperium in tali Fœdere excipi debent.* Pluribus id confirmat Limnæus *Jur. Publ. Imp. Rom. Lib. 7. c. 1. n. 59. seq.* inductione Fœderum quorundam in Imperio initiorum, cum primis Hanseatici illius. Talia fœdera reperies apud H. Conringium *Dissert. de Urbibus Germ. §. 94. seq. quæ sine dubio magno & fœderatis Urbibus & toti Germaniæ commodo fuisse, §. 104. monetur.* Constat autem quam certissime Tigrinos cum Helvetiis nec primos, nec eo tempore solos, nec etiam postremos fuisse, qui fœdus tale cum aliis libertatis defendendæ ergo iniverunt; & in eo solum Fœdus hoc Helveticum ab aliis Fœderibus tum temporis discessit, quod æternum esset; quo nomine ab ipso Coringio *l. c. §. 97. commendatur; Helvetica verò, ait, societas paucas quidem urbes comprehendit, verum æternitate & robore plane sine exemplo est. Non enim ipsa illa antiquitati celebrata vel Achaicum vel Ætolicum Græcarum*

Urbium Fœdera cum Helvetico, sive potentia sive tempore contendere merentur. Si igitur, ut ad argumentum redeam, Imperialis Civitas, jus fœdera pangendi possideat, si respectus, quo Imperio obstringitur, excipiatur, nemo hominum Fœdus Tigurinorum injustitiæ accusare poterit, quandoquidem formula antiqui Fœderis conceptis verbis Imperatorem atque Imperium Romanum cum Juribus suis excipit, & Fœderi huic anteponi vult, ut videre est apud Cel. Simlerum *de Rep. Helv.* p. 176. Et hoc quidem modo Tigurini se ad convictionem coram Carolo IV. potenter tuiti sunt. Vid. Bulling. *Chron. Mscr. Lib. 8. c. 11.* Adeo ut optimo jure Fœderi huic Tigurinorum applicare liceat, quod de communi Fœdere Helvetico solidissime Cel. J. H. Hotting. in *Irenico Helv.* commentatus est.

XXVIII. Licet autem jus fœdera pangendi ita Imperiali Civitati Tigurinæ assertum, & Fœderis ipsius justitia demonstrata sit. Attamen dicet mihi quis ex ore multorum Germanorum: Fœdus Helveticum, quo hodie est statu & modo, ab illo antiquo & primo multum degeneravit, nam publica Instrumenta olim Jura Imperii in Helvetiam excipiunt, & Helvetios Imperii membra clare affirmant, nunc vero Helvetia Imperii jura in se negat, obedientiam respuit, & ab Imperio ejusque oneribus omnibus se exemptam esse venditat. Et in hanc quidem sententiam it Limnæus *de Jur. Publ. Imp. R. Lib. I. c. 9. §. 35.* ubi censet, *Helvetios esse exemptos a Judicio Aulico, Camerali & Rotwilensi: nec non liberos esse ab omnibus realibus Imperii oneribus: sed propterea tamen Liberos, & in totum exemptos*

entos ab Imperio dicendos non esse : idque probare annitur ex literis Helvetiorum A. 1519. ad Electorem Moguntinum de novo Imperatore datis, in quibus aliquoties se Imperii membra profitentur, & sententiam suam de eligendo Imperatore cordate dicunt. Cel. Conringius data hoc agit opera, ut demonstret Helvetios ad Imperium pertinere, eaque propter adducit decretum Comitiorum Reginoburgensium sub Friderico III. A. 1471. Basileensium A. 1474. Literas feciales, quibus Carolo Burgundo, ut Imperii membra, bellum indixere: Pacem cum Maximiliano A. 1499. initam, qua se evocatos ab Imperio adversus vim peregrinam justis auxiliis eam arcere conaturos esse, obstrinxerint: Literas ad Leonem X. Papam & Electorem Moguntinum superius allegatas: Petiisse eos confirmationem Privilegiorum suorum, a Carolo V. A. 1521. a Ferdinando &c. Eos ad majorem libertatem aspirasse, ex quo Fœderibus Gallicis fuerint subnixi; Videri tandem eos per tabulas Pacis Monasteriensis A. 1648. in plenam libertatem assertos esse, sed dubium esse, annon illa possessionis confessio multum diversa sit a jurium remissione. *Lib. 2. de Finib. Imp. Germ. c. 25. §. 19 - 27.* Is denique qui ad locum hunc Conringii notas adjecit, idem dubium totalis exemptionis confirmat, vel saltem declarationem Pacis Monasteriensis ita limitat, ut velit, Helvetios tamen teneri *ad comiter venerandum Imperium, id est, cum Imperii hostibus se nec consociandum, nec aperte aut occulte illos roborandum*; quod tamen haud observari ab Helvetiis, maxime Romano-Catholicis, queritur.

XXIX. Potissimum sine dubio hoc est, quod independentiæ Fœderis Helvetici, & consequenter Tigurinorum, nam hic communis omnium agitur causa, objici potest. Sed tamen non ejus est naturæ, ut ex veritatis demonstratione solvi, & apud quemvis præjudicio destitutum dispelli non possit. Consulatur hanc in rem elegans libellus germ. Franc. Mich. Buelleri Suitensis *de Libert. & Independent. Helv.* qui Helvetiorum Cantones omnia Regalia possedisse, c. 3. docet, & adversus objectiones etiam superius adductas, ex jure præscriptionis præcipue, ac Pacis Monasteriensis Art. VI. hujusque per Ferdinandum III. A. 1650. facta confirmatione aliisque vindicat, tandemque, exceptionem Imperii ab Helvetiis libere, honoris ac vicinitatis causa factam esse pertendit. Si hæc argumentatio minus arriserit, videat B. Lector Cel. J. R. Ottii nostri solidam hujus dubii solutionem in *Helvet. Restit. Quæst. B. pag. 60.* ex qua ut & aliis adnotare licet: Videri utique Helvetios primos de exemptione ab Imperio non cogitasse, sed postmodum, maxime ubi a Friderico III. Imp. in bello Burgundico A. 1474. contra datam fidem deserti fuissent, de exemptione cogitare coactos, tum Imperatorum cessione, tum meritis suis, maxima Privilegia & ipsam exemptionem paulatim obtinuisse. Vid. Privilegia recensita a Cel. J. H. Hotting. *Spec. Tig. 76. seq. 103. 109. seq.* Carolus namque IV. non tantum Fœdus Helveticum confirmavit, sed & cum Tigurinis fœdus A. 1362. erexit, & splendidissimis privilegiis Tigurinorum adjecit jus Fori erigendi, quale Rotwilense, Præfecturæ Imperialis tempore Interregni, de iis non citandis
ad

ad extraneum Forum , pœna etiam citantibus dictata, aliaque. Vid. Cel. Hotting. *l. c. p.* 119. Wenceslaus Præfecturam Imperialem Tigurinis A. 1400. concessit, Cel. Hotting. *l. c. p.* 128. *seq.* Sigismundus Tigurinis præterea & aliis Helvetiis addidit jus in terras bello occupatas A. 1415. &c. Cel. Hotting. *l. c. p.* 137. *seq.* Maximilianus I. post Suevicum bellum exemptionem a Judicio Aulico, Camerali & Rotwilensi, atque immunitatem ab omnibus oneribus realibus Imperii A. 1499. concessit. Carolus V. An. 1521. ubi præter alia multa, omnes, futuros etiam, Imperatorum & Ducum Austriacorum adversus Tigurinorum Privilegia & Libertatem conatus, invalidos pronunciat & nullarum virium esse vult; hæc confirmavit, & A. 1547. eos liberos ab Imperii congressibus extra Helvetiam coactis, licet more Majorum ad eos vocarentur, pronunciavit. A quo tempore, ut & antea ex parte factum est, Helvetii adversus Imperii onera sibi imponenda, aliaque decreta protestati sunt, prout Conringius *l. c.* ipse commemorat, & ex Goldasto Pagos quosdam, præcipue Tigurinum, exemptos dicit. Liquet igitur exemptionem ab Imperio non demum a Pace Monasteriensi derivandam esse, sed jam antea Helvetios eam sibi vi Privilegiorum attribuisse; Hinc quoque est, quod Helvetiorum ad dictam Pacificationem Legatus proposuerit Legatis Cæsareis, *se nec privilegiorum extensionem, nec confirmationem, sed hoc petere, ut Imperator Helvetiam suo libero & independenti Statu in posterum inturbatam gaudere permittat.* Id quod Instrumentum illius Pacis publice promittit; exemptionem itaque agnoscit, non dono dat.

dat. Quibus observatis exceptiones superius adnotatas tollere, non erit difficile. E re itaque Helvetiorum erat, novi Imperatoris electionem curare propter se ipsos; Et petierunt quidem illi a posterioribus Imperatoribus Jurium suorum confirmationem, sed præter necessitatem, vid. Cel. J. H. Hotting. *Spec. Tig.* p. 155. & ex more antiquo; nunquam tamen renunciarunt suis Privilegiis, cumque sibi hoc fraudi fore intelligerent (minime vero ob Fœdus Gallicum) a Matthia Imperatore, & in hunc usque diem constanter id facere, decreto Badæ A. 1514. factò, omiserunt. Carolo Burgundico bellum intulerunt præcipue vi initæ tum temporis cum Sigismundo Duce Austriaco Unionis seu Fœderis. Quod denique exemptio in Pace Monasteriensi totalis, non partialis fuerit, ipsa tum res, tum Mandatum Ferdinandi III. A. 1650. ad Cameram Spirensis datum, in quo, referente Cel. J. H. Hotting. *Spec. Tig.* p. 152. seq. & supra laudato Buellero Suitensi *l. c.* habetur, quod *Cantones Helvetici à S. Imperio totaliter exempti & liberi permanere debeant, & quidem contra quasvis que formari possent Exceptiones, aperte loquitur.* Etsi vero ita exempti essent, Tigurini tamen hætenus comiter venerati Imperium sunt, ita ut nulla Fœdera offensionis, sed solius defensionis gratia, nec adversus Imperium, nec alios iniverint. Interim *ὡς ἐν παρόδῳ* hic notasse liceat, quid monstrat, exemptionem hanc multo labore partam sponte aliquam Helvetiæ partem Juri Imperiali subjiciendo, tollere.

XXX. Non levia denique aliunde petita argumenta pro justitia Fœderis Helvetici, specialiterque Tigu-

Tigurini, adducere, si opus esset, possem: ut summorum Monarcharum inita iiscum Fœdera, ita ut rectissime Ampliff. Rhanius *ad A. 1512.* observet, Principes illius ætatis fere existimasse, ad victorias obtinendas sufficere, Helvetios in suis partibus habuisse. Sed talia mitto, hoc unum addo: Ipsum Deum miraculosis operibus primum Helvetiorum Fœdus confirmasse, & Tigurinos occulta quasi vi ad Fœdus illud pepulisse, illosque in Fœdere mirabiliter in omnibus augustiis, quales propter Fœdus nullus Cantonum sustinuit, conservasse. Consule elegantissimam *de Dei in Remp. Tigur. Beneficiis* Cel. J. H. Hotting. Orationem.

XXXI. Superest, ut, quod ab initio promiseram, vel verbo attingam, Statum nimirum Urbis Tigurinæ, Carolo frena Imperii moderante, Ecclesiasticum. Verbo, inquam, rem expediam, tum quia nec instituti nec fori mei est, tum quia res a Celeb. Dn. J. Jac. Hotting. Prof. Theol. in libro supra laudem meam posito *Historia Helvetica Ecclesiæ* germanico idiomate exarata, occupata est, ut nihil mihi reliquum quam eam exscribere sit. Ecclesia Tigurina pro illorum temporum tenebris & ratione, plurimis iisque maximis corruptionibus a Sede Romana seu haustis seu præceptis coinquinata, multum a primæva puritate & simplicitate desciverat, non tamen abjectissimam ita servitutum instar aliarum gentium serviverat, ut non quædam, quæ Papæ displicebant, ageret. Tigurini adhuc ex Arnolde Brixienti, antea suo hospite, multa retinuerunt adversus ambitionem & avaritiam Clericorum principia; Cel. Hotting. *l. c.*

T. I. *ad A.* 1140. Iidem injustam excommunicationem propterea, quod Ludovici Bavari Imperat. partes suscepissent & nequicquam a Papa monti defendissent, passi, Clerum Urbe, exceptis, uti referunt, Franciscanis in monasterio suo permanentibus, pepulerunt, & 18. annis ad A. 1349. sub Papæ interdicto vixerunt, interea Magistratus publico Edicto omnem tutelam Clero, nisi cultum publicum præstaret, denegavit; Unde turbæ in Urbe inter Clericos, & injuriæ plurimæ Tigurinis obvenerunt. Cel. Hotting. *l. c. ad A.* 1339. 1341. Nobil. Tschud. *Chron. Mscr. T. I. ad A.* 1338. Collegium Canonorum Tigurinum per Brunium Præpositum suum a Carolo IV. supremum vitæ & necis arbitrium in pagis suis A. 1363. obtinuit. Hotting. *l. c. ad a. d. & p.* 804. Senatus interim Tigurinus audaciam Præpositi Tigurini, in cujus nomine facinorisque fociis variant Historici, exilio multarunt, eo quod Prætorem Lucernatem in territorio Tigurino captivum, inscio & invito Senatu,prehendissent, A. 1370. Quo anno Tigurini una cum Lucernatibus, Uriensibus, Suiensibus, Underwaldensibus & Tuginis in Publico Instrumento (vulgo *der Bassen-Brief*) caverunt, ne Clerus privilegiis suis abutens, propter leves causas pecuniarias aliasque, excommunicatione incolas feriret, vel alio modo quietem publicam turbaret, dicta etiam reis pœna: Unde Helvetiorum animus cognoscitur, quo fuerint erga Clerum a legibus patriis sese eximentem. Cel. Hotting. *l. c. p.* 183. Cl. Simler. *de Rep. Helv. Lib. 2. p.* 364.

XXXII. Hæc & similia antiquorum Helvetiorum, cum primis Tigurinorum, Statum Ecclesiasticum quadantenus indicant. Summis omnino immerſi fuerunt tenebris, neque mirandum eſt, quia Antichriſti dominatus eo tempore ad ſummum ſcandebat faſtigium; Interim tamen, ſi quis populus, certe Helvetius, reliquias antiquæ lucis ac libertatis retinuit, prout id a Cel. J. Jac. Hotting. in *Hift. Eccleſ. Helv. ſupra laudata T. 2. in Conſideratione ſubjuncta cap. 2. De Uſu Calicis*, hoc de quo agimus tempore, ſolidiſſime demonſtratur. Unde plures apud Tigurinos ab Huſſitarum doctrina minime alienos fuiſſe docetur, *Ibid. c. 4. §. 16.* Ita Patres noſtri *Papæ excommunicationem* timuerunt quam vehementiſſime, propter infinita inde prognata mala & cædes, ſed tamen ſæpiſſime eandem fortiſſime contemferunt, ſecus quam hodie a Cantonibus Pontificiis fit, & ſemper coercuerunt, perſuaſi, excommunicatum non ideo diſpendium ſalutis paſſurum eſſe; *Ibid. c. 3. Cel. Hotting. pater in Spec. Tig. pag. 406. ex Vitodurano.* Nihilominus Pontifices amicitiam Helvetiorum magnopere expetiverunt, ſed malo Helvetiorum omine, nulla enim amicitia ſanguine eis tanto, quanto hæc ſtetit. Ex Inſtrumento allegato, quod Helvetiorum Sanctio Pragmatica appellatur, & decreto adverſus Præpoſitum elucet, quid Patres noſtri *de exemptione Cleri a judiciis Magiſtratus* ſenſerint; nimirum illi auctoritatem ſuam omnibus viribus adverſus ambitionem & rapacitatem Cleri tuiti ſunt. *Ibid. c. 4. §. 65. datisque legibus confirmarunt, Cel. J. H. Hotting. Spec. Tig. p. 67. ſeq. § 394.*

Alia,

Alia , quæ huc adduci possent , lubens trans-
 eo , & in admiratione ac prædicatione Opt.
 Max. Dei nostri , quod , sicut infinitis aliis ,
 ita præcipue inæstimabili veritatis suæ Evangeli-
 cæ tum nunquam penitus suppressæ , tum pri-
 mum hic per beatam Reformationem restitutæ
 assertæque beneficio Urbem nostram exornatam
 clementissime præter merita nostra dederit , finio.

